

Pro
Gradu dignitateque Magistri
In
Facultate Artium
Universitatis Studiorum Ottaviensis

Grade confere
- Sch. v. v. v.
secret. des Etudes
superieurs

CSP: 2794

Antonino Joppolo, o.m.i.

DE THEOLOGIA APOLOGETICA

"... parati semper ad satisfactionem
omni poscenti vos rationem de ea,
quae in vobis est, spe..."
(I Petr. III, 15)



Universitas Studiorum Ottaviensis, MDCCCCLX

176.



UMI Number: DC54031

INFORMATION TO USERS

The quality of this reproduction is dependent upon the quality of the copy submitted. Broken or indistinct print, colored or poor quality illustrations and photographs, print bleed-through, substandard margins, and improper alignment can adversely affect reproduction.

In the unlikely event that the author did not send a complete manuscript and there are missing pages, these will be noted. Also, if unauthorized copyright material had to be removed, a note will indicate the deletion.

UMI[®]

UMI Microform DC54031
Copyright 2011 by ProQuest LLC
All rights reserved. This microform edition is protected against
unauthorized copying under Title 17, United States Code.

ProQuest LLC
789 East Eisenhower Parkway
P.O. Box 1346
Ann Arbor, MI 48106-1346

TIBI cui patet mens mea

A U C T O R I S I N T E N T I O

Tractatum apologeticum in Schola alii aliter nominant, atque etiam definiunt. Idem in propria auctoris sententia Theologia Apologetica nominatur, idemque generatim definitur functio critica sacrae Theologiae, quatenus haec existit scientia fidei, estque in suo ordine una ac suprema. Quae utique non sunt ore tantum proferenda, sed praeterea debent ratione qua convincitur intellectus fulciri. In quo profecto est praesentis quaestionis definitum propositum.

Auctoris autem intentio est, quae ipse sua sibi recogitabat mente, suo proprio exserere commentario. Quamobrem suffragantia testimonia nonnisi rarissime citantur. Etenim est veritas in iudicio componente et dividente secundum ipsarum rerum naturam, nec mutat rei veritas eo quod multi affirmant, negant multi, neque scientia augetur in se ipsa congectione multitudinis testimoniorum.

Sed quoniam Deus unus exstitit a se, sicut quoad suum esse, ita et quoad suum intelligere, statim indicabuntur libri praecipui, quibus quam maxime iuvabatur auctor in suo studio, quibusque utendum aliis in eadem via. Succeedent sibi in elencho nomina ordine, quem nequaquam determinabat alphabetum, verum dignitas, vel peculiare momentum.

Logicae progressionis atque perspicuitatis causa,
nonnulla praedefiniuntur themata tractanda. Totidem haec erunt,
quot visum est ad terminandam quaestionem postulari et esse
satis.

I N D E X A U C T O R U M

- THOMAS AQUINAS, Summa Theologiae, I, 1; II-II, 1-6
- THOMAS AQUINAS, Summa contra Gentiles, I, 1-9; II, 1-5
- THOMAS AQUINAS, De rationibus fidei
- R. GARRIGOU-LAGRANGE, De Revelatione, I, Romae, 1945 (4a)
- S. TROMP, De Revelatione Christiana, Romae, 1945 (5a)
- H. DIECKMANN, De Revelatione Christiana, Friburgi Brisgoviae, 1930
- M. NICOLAU, Sacrae Theologiae Summa, I, Theologiae Fundamentalis, Matriti, 1952 (2a)
- A.M. HORVATH, Synthesis Theologiae Fundamentalis, Budapestini, 1947
- A. GARDEIL, La Crédibilité et l'Apologétique, Paris, 1912 (2a)
- P. ROUSSELOT, Les yeux de la foi, Recherches de Science Religieuse, 1910
- J.H. NEWMANN, Grammar of Assent, New York, 1870
- M. BLONDEL, Lettre sur les exigences de la pensée contemporaine en matière d'apologétique, (1896), Paris, PUF, 1956
- R. AUBERT, Le problème de la foi, Louvain, 1958 (3a)
- M.L. GUERARD DES LAURIERS, Dimensions de la foi, II, Excursus VII, Paris, 1952
- J. LEVIE, Sous les yeux de l'incroyant, Paris-Bruxelles, 1940
- A. LANG, Fundamentalthologie, Muenchen, 1954
- H. LANG, Glaubensgewissheit, Augsburg, 1929
- H. DUMERY, Critique et Religion, Paris, 1957
- H. DUMERY, Blondel et la Religion. Essai critique sur la "lettre" de 1896, Paris PUF, 1954

- J. MOUROUX, *Je crois en toi, structure personnelle de la foi*, Paris, 1949
- E. MASURE, *La grand'route apologétique*, Paris, 1939
- A. GABOARDI, *Problemi e Orientamenti di Teologia Dogmatica*, 1, *Teologia Fondamentale*, Milano, 1957
- A. LIEGE, *Bulletin d'Apologétique*, *Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques*, 33, 1949
- H. HOLSTEIN, *La Théologie Fondamentale depuis 1945*, *Année Théologique*, 1949-50
- A. DE BOVIS, *Bulletin d'Apologétique*, *Recherches de Science Religieuse*, 43, 1955
- M.-D. PHILIPPE, *Apologétique*, *Bulletin Thomiste*, 6, 1940-42
- M. CORVEZ, *Théologie de la foi*, *Revue Thomiste*, 51, 1951
- N. DUNAS, *Doctrines Théologiques*, *Bulletin Thomiste*, 9, 1954-56, p. 709-39
- N. DUNAS, *Les problèmes et le statut de l'apologétique*, *Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques*, 43, 1959
- M. LABOURDETTE, *Foi catholique et problèmes modernes*, Tournai, 1953
- A. DE POULPIQUET, *L'objet intégral de l'Apologétique*, Paris, 1912
- G. BRUNNES, *Faith and its Rational Justification*, Herder Book Co.
- P. DE LETTER, *Faith and Apologetics*, *The Irish Ecclesiastical Record*, 82, 1954
- X. LE BACHELET, *De l'apologétique "traditionnelle" et de l'apologétique "moderne"*, Paris, 1897
- L. MAISONNEUVE, *Apologétique*, *Dictionnaire de Théologie Catholique*
- A. VALENSIN, *Immanence (méthode d')*, *Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique*

- H. DE LUBAC, Apologétique et théologie, Nouvelle Revue Théologique, 57, 1930
- Y. CONGAR, Théologie, Dictionnaire de Théologie Catholique
- H. LAIS, Apologetik, Lexikon fuer Theologie und Kirche
- F. TIBERGHIEU, La méthode apologétique, Revue Apologétique, 39, 1939
- L. CRISTIANI, Nos raisons de croire. Sens et vertu de l'Apologétique, Coll. Je sais - Je crois, Paris, 1957
- G. THILS, Orientations de la Théologie, Louvain, 1958
- F. de B. VIZMANOS, La apologetica de los escolasticos post-tridentinos, Estudios Eclesiasticos, 13, 1934, p. 418-446
- H. HUNTER, Nomenclator literarius theologiae catholicae, Oeniponte, 1903-1913
- K. WERNER, Geschichte der Apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie, Schaffhausen, 1861-1867, 5
- K. WERNER, Geschichte der katholischen Theologie seit dem Trienter Concil bis zur Gegenwart, Muenchen, 1866
- H. LAIS, Problemas actuales de la Apologetica, Version Espanola por Eduardo Valenti, Barcelona, Herder, 1950
- A. MICHELITSCH, Elementa Apologeticae sive Theologiae Fundamentalis, Graz et Viennae, 1925 (3a)

I N D E X T H E M A T U M

PROBLEMA APOLOGETICUM

SUBIECTUM ET OBIECTUM APOLOGETICAE

APOLOGETICA ET THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

APOLOGETICAE PROPRIA NATURA

APOLOGETICA "TRADITIONALIS" ET APOLOGETICA "MODERNA"

DIVISIO APOLOGETICAE

APOLOGETICAE GENERALE SCHEMA

CONSPECTUS HISTORICUS APOLOGETICAE

APOLOGETICAE AUCTORES PRINCIPES

PROBLEMA APOLOGETICUM

Hinc necessarium investigandae quaestionis exordium, quoniam propter huius modi reale problema existit in Ecclesia tractatus apologeticus. Quod in primis apologeticum problema est, ex ipsa Ecclesiae praedicatione manifestatur.

Ecclesia scilicet praedicat se divinam Revelationem possidere, eamque per Jesum Christum factam, sibi authenticam commissam infallibiliter propagandam in tempore et in spatio, ad consummationem saeculorum usque, ut omnis homo veniens in hunc mundum credere et operari valeat in vitam aeternam, quae extra Ecclesiam non est ulla, atque praedicationis suae veracitatem probari certis signis divinis, quae rationalis credibilitatis ad fidem praerequisitae motiva sunt sufficientissima. (Concilium Vaticanum, Dz. 1790, 1794).

Ita praedicat Ecclesia ab initio, damnatque omnes contradicentes sibi, tum singulas personas tum communitates christianas separatas. Profecto solemne problema est hic, quod obicitur tam praedicanti Ecclesiae quam individuis hominibus praedicationem ecclesiasticam audientibus. Quaestio scilicet urget de facienda evidentia credibilitatis, sine qua non est testimonium ullius fide dignum, rationabiliter credit nemo.

Hanc quaestionem utique sibi propriam habet omnis homo simul ac serio coepit suspicari veracem esse praedicationem Ecclesiae, eaque se vere obligari ad credendum. Si non leviter omni dicenti est fides praestanda, in iis quae Deum finemque vitae ultimum spectant prudentia summa sit necesse est. Hanc eandem maxime sibi propriam habet Ecclesia, quae certe suae praedicationis omni poscenti se rationes credendi adstruere debet, iuxta Petri apostoli monitum (I Petr. III, 15).

Itaque liquet iam quod existit apologeticum problema. Sed etiam in quo consistit. Nimirum problema apologeticum, prout obicitur utique Ecclesiae praedicanti, non est in existentia Dei demonstranda, nec in necessitate profitendae verae religionis asserenda, neque in religionibus historicis comparandis. De iis sunt etenim propriae disciplinae. Theodicae, Ethica, Philosophia Religionis, Historia Religionum.

Iterum in se et per se non est apologeticum problema in hoc, quod exquirantur apta motiva credibilitatis praesentanda. Haec obtinet Ecclesia Deo dante.

Est ergo problema apologeticum in iustificanda defendendaque Ecclesiae praedicatione, idque critica discussione argumentorum, quae ab Ecclesia dicuntur certa divinae Revelationis signa atque sufficientissima rationalis credibilitatis

motiva. Probandum est scilicet quod et quo pacto iisdem manifestatur Deus in Christo per Ecclesiam hominibus loquens.

Exinde necessitas Apologeticae in Ecclesia. Hoc est systematica atque methodica tractatio veracitatis praedicationis catholicae, quae actum divinae fidei proponit quo divina creduntur mysteria et secundum quem tota informatur vita propter auctoritatem Dei revelantis sub magisterio ac ministerio Ecclesiae.

Huiusmodi est Apologetica quae in Schola frequentatur, doctoribus fidei imbuendis destinata. Ad quam exercendam per se requiritur pacifica possessio veritatis defendendae. In doctore fidei scilicet, qui idcirco apologeta dicitur et est. Aliter utique procedit qui inquisitor est fidei, quam non defendit ipse, verum sibi iustificandam postulat. In eo nonnisi sanae persuasiones requiruntur sensus communis, quibus disponitur iuvaturque ad viam apologeticam ingrediendam qua pervenitur ad fidem.

SUBIECTUM ET OBIECTUM APOLOGETICAE

Problemate apologetico, prout praedicanti Ecclesiae obicitur, iam posito atque illustrato, facilius utique determinabitur subiectum et obiectum proprium tractatus apologetici qui in scholis catholicis frequentatur. Inde scilicet manifestum factum est quod Apologetica tota versatur in iustificanda divina Revelatione et consequente divina fide secundum praedicationem Ecclesiae.

Est ergo subiectum apologeticae idem quod divina Revelatio. Hoc est Deus revelans, vel, quod in idem redit, Deus revelatus. Rursus, formula metaphysica, ipsum Esse subsistens in Tribus se manifestans in praedicatione Ecclesiae.

Atqui hoc ipsum est subiectum sacrae Theologiae. Sed in Apologetica subiectum sacrae Theologiae propria utique ratione consideratur. Quae propria ratio est praedicatum, quod Apologetica subiecto sacrae Theologiae tribuit, in quo obiectum proprium Apologeticae existit. Id est rationalis credibilitas, quae generatim proprietas obiecti crediti definitur. Ipsa est quae actum fidei facit rationabilem, seu ratione consentaneum. Quapropter dicitur necessaria praecognitio ad fidem universim. Atque est supernaturalis fidei praerequisita naturalis cognitio. Non secus enim supernaturaliter credere est rationabiliter credere.

Unde sequitur omnino subiectum sacrae Theologiae, non qua mysterium, sed qua miraculum, considerari in Apologetica. Quod scilicet in divina Revelatione est supernaturale quoad modum attingitur, et nequaquam quod est in ea supernaturale quoad substantias. Non enim naturaliter cognoscibile est hoc. Sed contra divinus interventus praeter consuetum ordinem naturae potest naturaliter cognosci in se, ac potest praecognosci sicut oportet ad faciendam rationabilitatem fidei divinae in revelantem Deum.

APoloGETICA ET THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

Nomen Theologia Fundamentalis usu frequente iam pertinet ad communem terminologiam theologiam, quamvis non omnibus auctoribus idem placere videatur. Quidquid est de nomine, conceptus Theologiae Fundamentalis ipse retineri utique debet.

Porro conceptus dicit quid est res in se ipsa. Sed in legendis variis libris, qui De Theologia Fundamentali inscribuntur, non omnino constat quod res nominata existit in se ipsa. Solet enim Theologia Fundamentalis definiri tractatus de fundamentis fidei, quae sunt divina Revelatio et Ecclesiae propositio, hoc est motivum atque conditio fidei divinae et catholicae (Concilium Vaticanum, Dz. 1792).

Certe ad nominalem definitionem rei haec sufficiunt. Attamen eis res ipsa nondum attingitur. Insuper fugitur ulterius res additione eorum quae de subiecto, obiecto atque munere Theologiae Fundamentalis libenter disserunt varii auctores. Etenim disciplina describitur, quae partim est Philosophia, partim est Theologia, quae primum argumentando ex ratione credibilitatem probat praedicationis catholicae, quae deinde procedendo ex auctoritate intimam Ecclesiae constitutionem, fontes divinae Revelationis aliosque locos theologicos determinat, atque simul definit methodum propriam sacrae Theologiae.

Itaque, in hac sententia, Theologia Fundamentalis videtur esse totum quoddam, cuius pars tantum diceretur Apologetica, quae ipsa nonnisi in complexu totius nomen Theologiam participaret.

Haec utique falsa non sunt. Sed eadem nec omnino perspicua. Eademque extrinseca accidentalique ratione dicuntur. Nimirum iuxta recentiorum Scholae consuetudinem introducendi sacrae Theologiae aliquae propraedautica, in qua ea omnia praelibantur quae fundamentalia esse visum est.

Ne quidem vera Fundamentalia sunt quae in Theologia Fundamentalii traduntur. Attemen si in hoc sistitur, non ultra nominalem definitionem progreditur mens. Atque non potiore ratione diceretur Theologia Fundamentalis, quam dicitur Moralis Fundamentalis, Christologia Fundamentalis, Mariologia Fundamentalis, et alia in id genus. Idcirco adhuc realis conceptus Theologiae Fundamentalis est inveniendus omni modo.

Ad hoc alia via incedere oportebit. Videlicet affirmata identitate Theologiae Fundamentalis et Apologeticae. Nam problema apologeticum, quod singulorum est hominum propter officium credendi, quodque est Ecclesiae propter ministerium verbi, id ipsam sacrae Theologiae est propter non evidentiam subiecti proprii.

Non scilicet immediata experientia colligitur subiectum sacrae Theologiae, nec ulla humana scientia manifestatur per se, verum Deo revelante traditur atque fide tenetur. Inde problema apologeticum dici debet quoque problema theologicum. Quaestio problematica interna ipsius scientiae theologiae, eaque vere fundamentalis. Quaestio de rationali iustificatione subiecti sacrae Theologiae, quatenus dicitur reale principium cognitionis, id est novum subiectum sciendi ex auctoritate et in auctoritate divini testimonii.

Non enim aliter sacra Theologia assequitur suam conditionem status scientifici in humano intellectu. Non quidem propter incertitudinem sui subiecti, verum potius propter insufficientiam ipsius intellectus humani. Est sacra Theologia in se et per se, ex sua nempe ontologica coniunctione divinae scientiae cui subalternatur, quemadmodum ex sua vitali radicatione in habitu divinae fidei a quo sustentatur, realis scientia et obiective et subiective. Est sacrae Theologiae subiectum, per existentem divinam Revelationem eaque fide personaliter immanentem, certum omnino et quoad se et quoad fidelem. Nihilominus, in ordine scientifico, id non dogmatice est tantum asserendum, sed est praeterea scientificè statuendum.

Sunt praesertim scientifica ratione pellendae difficultates ac dubitationes quas patitur humanus intellectus ex

ambiente cognitione naturali contra propositum subiectum sciendi ex auctoritate et in auctoritate divini testimonii. Novum est. Naturali rationi ignotum prorsus.

Quamobrem eget sacra Theologia aliqua rationali mediatione. Qua scilicet quod in se nonnisi suprarationale est, ac proinde per se principiis rationalibus nec immediate nec mediate notificatum, certum tamen ipsum ratione fiat, non tantummodo prout expedit sinceritati Evangelii atque ingenuitati sensus communis, sed etiam secundum logicum rigorem cognitionis scientificae.

Atqui huiusmodi requisita mediatio rationalis id ipsum est quod Apologetica. Haec eademque id ipsum est quod Theologia Fundamentalis. Etenim Apologetica dicitur et est rationalis iustificatio divinae Revelationis secundum praedicationem Ecclesiae tradentem subiectum sacrae Theologiae. Nec aliud est Theologia Fundamentalis. Reali utique conceptu haec in hoc intelligitur posita, quod subiectum sacrae Theologiae in veritate praedicationis Ecclesiae tradentis divinam Revelationem fundatur critica ratione.

Secundum veritatem ergo Theologia Fundamentalis et Apologetica unum idemque esse videntur. Quod secundum certam doctrinam Angelici Praeceptoris dicitur quoque. (Summa Theologiae, I, 1, 8). Praeterea in hac sententia attenuatur praepotens nota

polemica, ut aiunt, Apologeticae classicae, quam solent vituperare nonnulli. Intrinsicus habet sacra Theologia instantiam apologeticam, quae revelato mysterio christiano inhaeret, quae nullis existentibus adversariis existeret eadem, quae ulla fugata specie adulterari non potest. Quo pacto scilicet revelata divina veritas ambienti naturali veritati inseritur, et perseverat mysterium Dei quin pereat ratio hominis, gigniturque fides et non perimitur scientia.

Fundamentalis omnino est quaestio haec. Quae tangit principia prima sacrae Theologiae. Cui nonnisi critica ratio potest respondere. Atque responderi debetur pro veritate totius cognitionis theologicae in ordine scientiarum.

Fortasse hac sententia turbatur quodammodo classicum programma Theologiae Fundamentalis. Revera nihil est. Solum formalis intelligentia rei edicitur hic. A qua formali intelligentia nequaquam aliena sunt quae consueverunt in libris scholasticis tradi. Tantummodo alia mente dicuntur tractanda. Nec quatenus ad propriam tractatus intentionem non faciunt.

Necesse est de Ecclesia tractari in Apologetica, ut ex apologetico problemate liquet. Sed amplius non licet tractatum de mysterio Ecclesiae desiderari in proprio loco, qui certe non est Apologetica, neque Theologia Fundamentalis.

Necessaria est quoque in Apologetica quaestio critica de Fontibus. Hi iidem sunt qui Loci Theologici vocantur. Non tamen ad Apologeticam pertinet, nec ideo ad Theologiam Fundamentalem, tractatus de locis theologicis. Introductio in sacram Theologiam est suus locus proprius. Quae idem quod Theologia Fundamentalis dici non debet. Quaeque, si nondum existit prout oportet, creanda erit renovata studiorum ratione ad integrum.

Itaque programma non turbatur, verum reformatur secundum ordinem disciplinae (Summa Theologiae, Prologus). Atque nomen Theologia Fundamentalis propria donatur significatione. Neque haec sententia praecoccupatur quaestio utrum in Apologetica sit initium vel finis sacrae Theologiae. Quaestio paedagogica est, de qua potest disputari. Reipsa opus apologeticum est sacrae Theologiae terminus et culmen. Idcirco Apologetica penitus esse dicitur Fundamentalis Theologia. Analogia fundamenti profundae res significantur. Porro profunda scientiae non prima sunt, verum ultima cognita.

DEFINITIO APOLOGETICAE

Ex iis quae hactenus dicta sunt de ipso apologetico problemate, de Apologeticae subiecto et obiecto deque Theologiae Fundamentalibus atque Apologeticae mutua relatione, iam licet realem definitionem Apologeticae colligere. Haec solet a variis auctoribus tradi multiplicata quoque varia enuntiatione. Saepe nonnisi verba mutant. Nonnunquam variat et ipsamet notio tradita. (Dieckmann, De Revelatione, p. 30-32).

Quidquid est, recte Apologetica definitur rationalis defensio divinae Revelationis per Jesum Christum factae atque in Catholica Ecclesia ab ipso condita asservatae. Recteque dicitur etiam rationalis iustificatio actus fidei catholicae. Manifeste in idem utraque definitio redit. Utriusque formula brevior esse potest: Demonstratio credibilitatis catholicae praedicationis: Scientia rationum credendi.

Tum vero compertum est qua intentione continetur Apologetica. Non utique particulari, verum potius universali. Quod scilicet Apologetica intendit, tota christiana veritas est, et nequaquam singula mysteria revelata. Est ipsum catholicum dogma in communi.

Unde accommodatus terminus APOLOGETICA. Nomen origine est Graecum, grammaticae autem adiectivum, usu vero substantivum.

Etymologice idem est quod APOLOHIA, quae Latine dicitur oratio qua quis se et sua facta defendit, aut excusat, aliorumque accusationes, et argumenta refellit. Arbitrio, sicut omne verbum, Apologetica contra Apologiam distinguitur. Haec in primordiis litteraturae christianae extra Scripturam frequentatur. Illa paulatim est efformata, coepitque vigere inde a saeculo XVII. Huius argumentum particulare est. Illius vero generale.

Ita Apologeticae finis intrinsecus. Inde determinatur universim materia in Apologetica tractanda, modusque tractandi. Paucis Apologeticae interesse dicitur quidquid praestitutae intentioni actuandae facit. Revera plurima consideranda veniunt, quoniam adversariis multis instantibus fit Apologetica necessario argumentosa. Fortasse in nullo alio humanae cognitionis ordine tanta postulatur eruditio quanta in Apologetica. Quae sunt rationis, et quae sunt revelationis, percelleri necesse est. Haec et illa, iuxta propriam eorundem naturam, iudicari atque ordinari debent, superata apparente utriusque termini contradictione, non utique per alterius termini resolutionem, verum potius amborum terminorum debita distinctione congruaque synthesisi.

Non scilicet est haerenti homini, aut Rationalismus, aut Fideismus. E contra est sibi et Ratio et Revelatio, Fides

et Scientia. Utrumque secundum eam ontologicam convenientiam naturae et gratiae, quam posuit utique idem ipse unus Deus, conditor naturae et largitor gratiae, creator ac pater. Profecto ad hoc non parva sapientia peritiaque est opus. Theologia et Philosophia, Historia et Scientia, Humanitates et Artes, convocantur ad sociam praestandam operam, ut securitas credentis innotescat divino freti testimonio, et quiescat intellectus.

APOLOGETICAE PROPRIA NATURA

Non est nova nec recens controversia de propria Apologeticae natura. Numquid sit scientia, vel saltem pars scientiae. Numquid Theologia sit, vel Philosophia. Quaestio futilis praedicanda, sin ipsa verum implicaret conceptum Apologeticae et Theologiae Fundamentalis.

Saeculo XIX exeunte, acris de hac re disputari coepit. Ad hoc provocabant utique existentes tractatus apologetici ob suam heterogeneam structuram. Non parum videbantur multitudine ac varietate rerum, quaestionum et argumentorum impediti. Quos ideo alii vocabant sacram pantologiam, alii sacram panaceam, alii publicum diversorium (Blondel). Accusabant etiam quod nescirent proprium obiectum propriamque methodum atque propriae materiae ambitum.

Haec et alia in idem genus non sine aliqua dicebantur ratione. Sed habent suam causam historicam in reformatione religiosa saeculi XVI, quemadmodum in revolutione philosophica saeculi XVIII. Hoc est in Protestantismo et in Rationalismo. Historica necessitate urgente parabatur primus tractatus de Locis Theologicis, deinde tractatus de Ecclesia Catholica, demum tractatus de Revelatione Christiana. Fontes doctrinae christianae expenduntur et defenduntur, origo christiana

societatis ecclesiasticae cum suo munere magisterii et ministerii vindicatur, veritas christianae religionis demonstratur.

Ita secundum temporum opportunitatem, Brevi iidem tractatus in operis unius coalescunt corpus, quod modo Apologetica, modo Theologia Fundamentalis dicitur. Exinde est plerumque improbata nota Apologeticae quae a superiore venit aetate. Non enim quaecumque partium coagmentatio facit unitatem per se. Nec aliunde omne vitium licet vocare ignorantiam.

Saeculo autem XX, praecipuis Ambrosio Gardeil auctore, Theologi propius vident suas partes in opere apologetico exercendo, pressiusque assignant proprium Apologeticae obiectum. Hoc scilicet in eo dicitur situs, quod est rationalis credibilitas divinae Revelationis. Atque est sacrae Theologiae divinam Revelationem eiusque proprietates considerare. Ita Theologi.

Sed e regione opponitur nuper orta et in dies crescens Philosophia Christiana. Haec suapte natura ad problema apologeticum sibi vindicandum tendit. Certe problema religiosum est maximum omnium quae cor hominis praesentis angunt, nulloque modo potest a Philosophia ignorari. Proindeque est Christianae Philosophiae christianam religionem ratione commendare. Ita Philosophi.

Utraque sententia ergo admittit naturam scientificam Apologeticam, quae in altera est Theologia, in altera Philosophia. Quod utique absolute dicitur. Attamen non desunt qui putarent Apologeticam esse quasi median disciplinam, in qua Theologia et Philosophia, Ratio et Revelatio, coniunguntur quidem in operando, sed nequaquam uniantur in aliqua formali ratione. Haec sententia munus apologeticum describitur, sed indoles disciplinae quae dicitur et est Apologetica non assignatur. Iterum nominalis intelligentia est haec eius mediationis rationalis, in qua consistit Apologetica, vel Theologia Fundamentalis.

Quaeque est opinantium opposita persuasio, secundum veritatem videtur tamen Apologetica dicenda functio critica ipsius sacrae Theologiae, cuius scientifica munera quoad obiectum revelatum nullo modo exorbitat opus apologeticum. Quod omnino probant cunctae et singulae praecedentes considerationes de problemate apologetico, de subiecto et obiecto Apologeticae deque Theologiae Fundamentalibus et Apologeticae identitate. Haec enodasse iuvabit.

Apologeticum problema in primis, prout superius positum atque expositum, necessaria conditione regitur a fide divina et catholica. Nam realitas ac veritas christiana quam implicat supernaturalis est, Deo revelante cognoscitur, mysterium est,

eaque fide orthodoxa est tenenda. Nevera Deo non revelante, de divina Revelatione non loquerentur homines, nisi fortasse hypotheticae et vago quodam desiderio, potius quam definito conceptu, quemadmodum Plato in suo Phaedone. Adeo quod apologeticum problema non est de divina Revelatione quae fieri posset, verum de facta divina Revelatione, quam Ecclesia praedicat. Itemque vera signa factae divinae Revelationis Deus ipse suppeditat una cum revelatione, quae sunt in Apologetica defendenda, et non vero alia invenienda. Quocirca connaturalis motus attingendi problema apologeticum videtur esse ab intra et non ab extra, Motus fidei versus rationem. Hoc est motus rationis fide illustratae. (Concilium Vaticanum, Dz. 1796). Qui modus proprius est rationis theologicae. (Summa contra Gentiles, 2, 4). Ideoque tractatus theologicus est Apologeticae praedicanda. Tantummodo oportebit conceptum Theologiae Apologeticae liberare ab implicita apparente petitione principii vel fallacia circuli vitiosi.

Subiectum et obiectum quoque Apologeticae naturam theologiam eiusdem manifestant. Id ipsum est subiectum Apologeticae quod subiectum sacrae Theologiae. Atque huius subiecti proprietas dicitur rationalis credibilitas, quae est obiectum proprium Apologeticae. Atqui subiectum est quod naturam scientiae determinat. Et ad eandem pertinet scientiam de proprietatibus subiecti tractare quae de ipso subiecto tractat. Insuper

rationalis credibilitas, quae in Apologetica divinae Revelationis attribuitur secundum Ecclesiae praedicationem, non qualiscumque credibilitas est, verum quae vere actum fidei iustificat quem proponit Ecclesia. Est autem actus fidei divinae et catholicae undequaque bene definitus, et quoad obiectum credendum, et quoad motivum credendi, et quoad credendi modum. Cuius proinde praesumbula rationalis credibilitas positivam implicat veritatem, quae a suo connaturali theologico contextu abstrahi non potest sine consequente errore, vel periculo erroris, in ipsa notione credibilitatis, quemadmodum in ipsius fidei notione. Itaque tractatus theologicus est iterum praedicanda Apologetica.

Theologiae Fundamentalis et Apologeticae concedenda aequatio aliud est denique argumentum, idque peremptorium, pro natura theologica Apologeticae. Sacra Theologia nempe, si intrinsecus habet atque in principiis suis instantiam apologeticam superius enodatas, non aliena opera, sed sua propria, quamvis non sine alieno adiutorio, debet eam a se ipsa fugare. Non secus decet scientiam quae in suo ordine dicitur sapientia maxime et simpliciter. (Summa Theologiae, I, 1, 6). Supra sacram Theologiam, nulla alia humana scientia est, quae per se munus cognitionis supernaturalis defendendae exerceret. Necessario Theologia, quemadmodum Philosophia, fit aliquando critica, hoc est apologetica. Ipsa divina fides, quae in humana mente subiectata processum intellectualem provocat, qui est sacra

Theologia, postulat se fieri aliquando criticam, id est apologeticam, ad manifestandum quod in se est rationabile. Hoc facit subordinando sibi humanam rationem secundum ambitum naturalis cognitionis. (Summa Theologiae, I, I, 8, 2m). In quo existit altissimum rationis theologicae exercitium.

Quae praecedunt vera utique sunt. Verumtamen eadem nonnullam faciunt dubitationem, quae iam fuit indicata, quaeque nunc enuntianda atque dissipanda est. Sacra Theologia scilicet ab ente supernaturali, quod est Deus revelatione cognitus, specificatur, ac dicitur scientia fidei, quam ipsa praesupponit. Apologetica vero definitur ac proinde intelligitur in ordine ad obiectum naturale, quod est rationalis credibilitas, quae ipsa praesumbula fidei ponitur. Theologia Apologetica videtur ergo repugnare. Hoc conceptu quid extraneum additur sacrae Theologiae, atque simul offendit mens in petitionem principii et circulum vitiosum.

Ad haec respondetur quod in Apologetica praerequisita rationalis credibilitas non ex principiis fidei concluditur demonstrative, sed concluditur ex principiis naturalis rationis. Qua animadversione evanescit obiectio petitionis principii. Contra objectionem circuli vitiosi autem, dicendum quod rationalis credibilitas, quae ad fidem praerequiritur et sufficit, non nisi certa notitia sensus communis est. In Apologetica vero eiusdem

scientifica notitia quaeritur, per explicitam cognitionem motivorum credibilitatis, eorundem quidem motivorum quae iam probavit ipse sensus communis in sua sinceritate ac veritate. Proindeque sine circulo vitioso ullo, eadem rationalis credibilitas, quae praecedit fidem, potest tractari a sacra Theologia, quam praecedit fides. Alia utique est formalis consideratio. Quo sensu intelligitur canon Vaticani contra Semirationalistas (Dz. 1815). Fidei doctor, non autem quaestor eiusdem, est apologeta. Est fidelis paratus ad satisfactionem omni poscenti se rationem de ea quae in se est spe. (I Petr. III, 15).

Apologetica itaque a revelatione et a ratione pendet simul atque necessario. A divina Revelatione derivat ipsam veritatem rationi iustificandam ipsaque media faciendae iustificationis. A naturali ratione derivantur principia ac methodus argumentandi. Revera argumentatio ipsius naturalis rationis est, naturale ratiocinium exercentis, atque ex principis rationalibus arguentis, quamquam divina Revelatione illustrante et ad praefinitum scopum dirigente.

Neque inde sequitur ita in uno eodemque cognitionis genere commisceri humana et divina, rationalia et suprarationalia, naturam et gratiam. Nam ex coniugata luce revelationis et rationis iam resultat ipsum sacrae Theologiae lumen. Atque est humana scientia de genere artificiatorum, quae ex sua ordinatione specificantur.

Non enim coarctari, sed amplificari dicenda est mens humana in sacra Theologia. Non solum cognoscit quae per se ipsa cognoscere non valet, verum etiam divino illustrata lumine melius videt quae per se sola videre potest. Etsi cognitio maxime propria in sacra Theologia est per divinam Revelationem (Summa Theologiae, I, 1, 6, 2m), non tamen excluditur inde veritas naturalis, quae necessaria est ad supernaturalem manifestandam veritatem, menti humanae accommodandam, nec non defendendam contra negantes (Ibidem, I, 1, 5, 2m; 8; Summa contra Gentiles, 2, 4).

Certe in Apologetica non conficitur opus dogmaticum, sed nec opus philosophicum simpliciter. Quod conficitur, ipsum opus rationis theologiae est, nomineque proprio opus apologeticum vocatur.

Ex his quae secundum rei naturam fuerunt dicta, non est ullo modo concludendum illicitam esse, vel minime expedire, Apologeticam quae frequentatur a Philosophis Christianis. Hi scilicet sola ratione usi, principium quaerunt quod Ecclesiae praedicationem hominibus faceret intelligibilem desiderabilemque. Idque in eo esse positum putant, quod res christiana quam praedicat Ecclesia, supplementum vel complementum foret ab ipsa hominis natura postulatum. Est in homine naturalis insufficientia, et ideo indigentia, imo exigentia cuiusdam divini additamenti

quod illi mederi natā^m est. Quae ergo naturalis postulatio, signum est veritatis doctrinae quam praedicat Ecclesia. Ita maxime Blondel.

Revera Philosophia sub regimine christiano posita nequit a problemate christiano abstrahere. Praesertim postquam, in aetate moderna, problema religiosum ad se vocavit Philosophia. Plurimum utique valet Philosophia ad homines in revelantem Deum inclinandos. Nihilominus in attingenda christiana realitate autonoma prorsus esse non potest. Tunc non veritatem revelatam attingeret, sed humanum commentum, vel figmentum. Non praedicationem Ecclesiae suaderet, sed opinionem, sin haeresim. Secus ordo supernaturalis non nisi voce tenetur. Hoc est, propter implicatam realitatem ac veritatem supernaturalem, apologeticum problema omnino ab extra tractari non potest. Idecirco Apologetica omnino extranea sacrae Theologiae non existit.

Haec mente profunda intelligenda atque retinenda sunt. At linguae quoque est cavenda. Suntu Philosophi Christiani in discernendo et secernendo quod in conditione spiritus incarnati non nisi gratuito divino remedio potest sublevari.

APOLOGETICA "TRADITIONALIS" ET APOLOGETICA "MODERNA"

Ecclesiae perpetuo praedicanti perpetuum offertur problema apologeticum. Nonnihil aliter tamen secundum alia tempora. Separatim Apologetica inde a saeculo XVII excoli coepit. Et occasio fuit dissidium Christianorum in Occidente una cum instantia philosophica Rationalistarum. Quod methodum determinavit Apologeticae deinceps frequentatae in Schola. Videlicet praestet ratio in argumentando, et tractatus de Ecclesia dirigitur contra Protestantes. Exeunte autem saeculo XIX, quaestio disputata est inter catholicos auctores de propria methodo Apologeticae, praesertim in eum finem qui est operanda conversio. Exinde utique distinctio atque oppositio duplicis Apologeticae, nimirum traditionalis et modernae.

TRADITIONALIS est appellata Apologetica quam colunt tractatus scholastici, et cuius generale schema dicitur esse evangelicum, apostolicum, patristicum, scholasticum. In ea rationalis credibilitas praedicationis catholicae demonstratur, externis quidem argumentis, quae dicuntur signa certissima divinae Revelationis atque sufficientissima motiva credibilitatis. Haec sunt praecipua miracula et prophetiae, sed et aliae notae quae divinam originem manifestant religionis quam praedicat Ecclesia. Hanc viam Christus ipse videtur initiasse, qui suam missionem a Deo apud homines vaticiniis in se adimpletis ac

miraculis a se patratibus edicit probari, quique signa similia annuntiat futura pro Apostolis suis. Ceteroquin viam hanc Deus indicaverat Moysi et Prophetis. Eandem viam sunt secuti ipsi Apostoli, qui "Jesus Nazarenus, virum approbatum a Deo virtutibus et prodigiis et signis" (Act. Apost. II, 22) celebrant. Evangeliorum contexta oratio verba et facta Christi refert, notato mutuo eorundem nexu, sive explicita affirmatione, sive consensu admirantis multitudinis, sive consequente adversariorum machinatione. Non dissimiliter procedunt qui dicti sunt Apologetae, saeculo II et III. Itemque posteriores Patres, saeculo IV et V, occasionem nacti haereticorum et schismaticorum. Pariter modo suo Scholastici, apud quos iam extant lineamenta maiora Apologeticae quae dicitur traditionalis. Haec non nunquam vocatur quoque Apologetica externa vel obiectiva. Quia externis illisque obiectivis potiusquam subiectivis criteriis fulcitur, atque magis studet divinae Revelationi defendendae quam operandae conversioni.

MODERNA autem appellatur Apologetica quam patrocinantur extra Scholam non nulli Theologi, et generatim recentiores Philosophi Christiani. In ea rationalis credibilitas praedicationis catholicae non demonstratur, verum monstratur, internis quidem argumentis, quae sunt data subiectiva, ut aiunt. Quam maxime haec valere dicuntur, suntque homini moderno/accommodatissima. Externa vero minoris, vel fortasse nullius momenti.

Unde nomen Apologeticae internae vel subiectivae. Quia internis
 iisque subiectivis potiusquam obiectivis criteriis fulcitur,
 atque magis studet conversioni operandae quam defendendae
 divinae Revelationi. Haec summis extollitur laudibus contra
 praecedentem, quae accusant de extrinsecismo, historicismo,
 vel intellectualismo, dicuntque nimis rationalem et syllogisticam.

Initia novae Apologeticae iam inveniuntur apud Pascal
 (1623-1662). Inter recentiores fautores eminent Galli Ollé-La-
 prune, Fonsegrive, Brunetière, Rousselet. Hic contra librum A.
 Gardeil, Crédibilité et Apologétique, scripsit suam opellam,
 Les yeux de la foi (Recherches de Science Religieuse, 1910,
 p. 241-255, 444-475). Maxime autem M. Blondel (1861-1949).
 Quem sequuntur magistrum discipuli non pauci nec ignobiles.
 Ad hanc novam viam non est utique perventum sine praevia
 fundatione in ordine philosophico et in ordine theologico.
 Quod est perspiciendum ad huius Apologeticae intelligentiam
 rectam atque aequum iudicium.

Praeprimis scilicet fundatur in Philosophia Immanentiae,
 quam vocant, in quantum utique haec potest liberari ab omnimoda
 transcendentiae negatione, qua serva est in aestimatione plurimum
 faventium cum adversantium sibi. Consequenter fundatur
 deinde in novissima Philosophia Valorum, ut aiunt, quae forte
 aptius dicitur Psychologia. Id est theoria de principiis

primis vitae humanae in actu exercito. Non omnino constat in quo existit valor, de quo loquantur varii auctores, qui nec quoad nomen convenire videntur. Nihilominus valor est, et in eo consistit vita, quae non est dicenda id quod est, verum id quod debet esse. Huius vitae valor est movens primum in ordine finis, quippe quod vivendi moriendique ratio. Praesuppositiva autem fundatur in Critica Transcendentali Kant, cum exaltato primatu rationis practicae.

Ex hac triforini fundatione ordinis philosophici, metaphysica, psychologica atque critica, sequitur immediatum fundamentum theologicum Apologeticae quae dicitur moderna. Nimirum intima structura actus fidei, propria natura christianae revelationis, ratio signorum divinae Revelationis. Reipsa haec tria unum idemque sunt. Sed distinguuntur ad penitioram analysim rei suggerendam.

Fides exercita, in primis, communicatio communioque est personarum. Potius quam assensus intellectus, voluntatis est consensus atque optio. Historice autem christiana revelatio sita est in vivo personarum testimonio. Dei et Christi scilicet, Apostolorum et Christianorum. Eademque mediis personalibus propagatur. Nimirum exemplo vitae, lege incarnationis, traditione veritatis. Et nequaquam polemica ratione.

Item signa quibus ad fidem in revelantem Deum vocantur exterius homines, et ipsa personarum instrumentum communicandi sunt. Nec eadem facile ostenduntur esse rationes demonstrativae.

Insuper fides, quam adstrueret ratio demonstrativa, nonnisi diminute diceretur donum personale, Dei et hominis nempe, omnino liberum atque ordinis supernaturalis. Nec aliud praeterea est a signis divinae Revelationis quaerendum quam quod est significare, et quidem scientibus intelligere tantum significare.

Ita ergo perventum est ad renovatam Apologeticam. Huius munus est, ut adiuvet intelligentiam signorum divinae Revelationis, quae intra conscientiam suam fert homo, assistatque generationi fidei secundum praedicationem Ecclesiae. Certe non sunt indiscriminatim recusanda quae hic explicitè implicitève asseruntur. Et contra eadem iudicanda sunt, quae vera retinenda, reliqua ad debitam proportionem reducenda, sin neganda. Ad hoc nonnulla puncta doctrinae in nulla Apologetica praetermittenda rememorasse iuvabit.

Primum est indeles intellectualis fidei divinae et catholicae. Secundum documenta biblica, patristica et ecclesiastica, quemadmodum iuxta certam rationem, credere est actus intellectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam (Summa Theologiae, II-II, 2, 9).

Intellectus, voluntas, gratia. Tria haec sunt principia fidei. Eadem integra maneant oportet in omni explicatione fidei, quodque secundum modum suum proprium. Non solum haec tria in fide exercita coordinata, verum etiam eadem subordinari et compenetrari dicenda sunt ad exercitium fidei.

Secundum autem est naturalis vigor humanae rationis. Hunc pro libitu exaltare vel diminuere catholice non licet. Vaticanum docet, Deum rerum omnium creatorem et finem naturali rationis lumine certo cognosci posse. (Dz. 1785, 1806). Item docet, divinam Revelationem externis signis iisque certissimis atque omnium intelligentiae accommodatis credibilem fieri posse. (Dz. 1790, 1812). Itemque miraculis divinam christianae religionis originem rite probari. (Lz. 1813). Quam catholicam doctrinam nervose commemorat Pius Ep XII in suis encyclicis Litteris Humani Generis. (AAS., 1950).

Tertium vero est ordinis supernaturalis genuina proprietas atque gratuitas. Non sunt utique separanda gratia et natura. Sed nec confundenda sunt ullo modo. Ultra et supra debitum naturae existit gratia. Secus gratia non est gratia, verum necessarium naturae adminiculum. Quod catholice affirmare est nefas.

Itaque certe exorbitat Apologetica, quae fidei intellectuales indolem quomodocumque laedit. Et aberrans est

Apologetica, quae dubitat de naturali vigore humanae rationis, quaeque proinde externa divinae Revelationis argumenta ignorat, vel negligit, nihilique facit. Quemadmodum catholicam veritatem adulterat Apologetica, quae inter gratiam et naturam, etiam in homine concreto, ut aiunt, distinguere nescit.

Attamen si iis altera Apologetica vere culpanda dicitur, non eisdem absolvitur necessario altera Apologetica. Profecto manca est apologetica, quae nonnisi externis argumentis atque solis syllogismis procedit. Psychologica complexio res humana est. Homo concretus, qui dicitur, passionibus est etiam irretitus, quae perspiciendae veritati nonnunquam obstant, quaeque spirituali veritati elevanti purificantique, necnon in multis contradicenti sibi natae sunt resistere. Quod aptissime edicunt encyclicae Litterae Humani Generis.

Quapropter non sunt binae Apologeticae opponendae, verum potius componendae. Nimirum Apologetica Traditionalis et Apologetica Moderna. Apologetica simul externa et interna, subiectiva et obiectiva, ut aiunt. Viae utriusque contemperata synthesis, quae renovat vetera atque nova consolidat. Non solo intellectu, nec sola voluntate, constat homo. Ratio sine affectu inefficax est. Affectus sine ratione nonnisi commotio est. In cognitione autem fidei principalitatem habet voluntas. (Summa contra Gentiles, 3, 40). Proindeque praeparanda est ad

fidem voluntas, parataque semper debet esse voluntas in fide. Sed utique modo rationali, prout decet rationalem appetitum, qui natus est ab intellectu formari, informari ac dirigi. Nec gratia movet creaturam rationalem nisi secundum modum naturae rationalis. Non aliter ergo potest Apologetica facere.

Esto Apologetica integra, sollicita de homine in natura posito. Esto consona factae divinae Revelationi eique conformatae fidei. Personarum commercium est absque dubio, Deum homini revelare hominemque Deo credere. Sed quod terminis continetur qui rem important extra cogitationem positam, quae definita veritas est quam de se ipso revelat Deus, quam de ipso Deo credit homo. Necesse est Dei locutionem constare, et quoad quod est, et quoad quid est, ut queat homo credere Deo, credere Deum, credere in Deum, actu intellectus a voluntate moti ad assentiendum (II-II, 2, 2). Fides Kantiana res inhumana est.

Sed non est praetereundum Apologeticam esse simul scientiam et artem. Atque alium esse finem immediatum utriusque. Altera rationalem foundationem fidei intendit primo per se. Idcirco est magis obiectiva, ut aiunt, minusque dependens a conditione temporum vel singulorum hominum. Altera faciendam animarum conversionem curat primo per se. Ideoque est praecipue subiectiva, ut fertur, magisque progredienti historiae conneza. Inde differentia et methodi et argumentorum et staturae inter

utramque. Quod fortasse fautores Apologeticae Modernae non satis considerant. Quae scientia iudicat ordinatque, ars applicat prudentia pastoralis. Non sola ratione, sed nec sine ratione, esse viam ad fidem manifestant variae confessiones de hac intima hominis experientia quae dicitur conversio. Legenti utique intelligentique.

DIVISIO APOLOGETICAE

Vulgata est bifaria Apologeticae divisio, in tractatum de Revelatione Christiana et tractatum de Ecclesia Catholica. Prior dicitur Demonstratio Christiana, posterior Demonstratio Catholica. Alter est de rationali credibilitate divinae Revelationis per Jesum Christum factae, alter de rationali credibilitate catholicae Ecclesiae a Jesu Christo conditae. Ille contra Rationalistas, iste contra Christianos dissidentes.

Haec tam perspicue sunt dicta, ut ea vere quoque dici videri posset. Certe commodis et utilitati scholae servit haec divisio. Nec ei esset obiciendum quidquam, si inde rei intelligentia non laederetur ullo modo. Non tamen ita est. Etenim hac divisione unitas tractatus apologetici in Schola pessumdat. Apologeticum problema scilicet, si in sua actuali spectatur significatione, non duos habet terminos, sed unum tantum. Id est Deus revelans in Christo per praedicationem Ecclesiae. Haec, et nequaquam alia, est facta divina Revelatio, cuius Apologetica dicitur et est rationalis iustificatio.

Christianam revelationem a praedicante Ecclesia separare nec methodice licet. Revelatione enim docetur compleri mysterium Verbi Incarnati in mysterio Corporis Christi Mystici, atque missionem Filii a Patre missionemque Apostolorum a Filio vinculo

uniri indissolubili. Fideque divina autem adhaeret homo Deo supernaturaliter revelanti et conservanti Ecclesiam suam. (Cajetanus, in Summam Theologiae, II-II, 6, 1).

Historice deinde fides divina nonnisi fides catholica est. (Summa Theologiae, II-II, 2, 2, 3a). Praedicat Christus Ecclesiam in evangelio Regni. Deinceps praedicat Ecclesia semetipsam in Christo a Deo. Et sine Ecclesiae praedicatione Christi hominisque historicus contactus non est ullus.

Bimembris Apologeticae divisio utique historicae conditioni debetur. Christianorum dissidium est eius extrinseca ratio. Intrinsecus vero nulla est. Quinimo error fuit Christianorum separatorum causam in Apologetica tractasse. Si veritatem christianam mutilant illi, non tamen omnem fidem abnuant. Proptereaque dogmatice sunt ad integritatem catholicam reducendi, et nequaquam apologetice, saltem secundum rigorem terminologiae. Non scilicet ratione convincendi, verum revelatione edocendi. (Summa Theologiae, I, 1, 8). Quemadmodum in ceteris sacrae Theologiae tractatibus haerèses propriae, ita et in proprio tractatu de Ecclesia sunt considerandae differentiae ecclesiologicae. Hinc deficiente scopo, deficit quoque praecipua ratio alterius tractatus apologetici qui dicitur Demonstratio Catholica.

Sed est praeterea animadvertendum bipartita Apologeticae divisione figmentum commendari disciplinae, quae nec Theologia neque Philosophia neve Scientia potest praedicari. Rationalis credibilitas enim nonnisi obiectum est in duplici distincto tractatu. Ideoque subiectum scientiae, in altero foret Christiana Revelatio, in altero Ecclesia Catholica. Atqui Christianam Revelationem abstractam a praedicante Ecclesia, vel praedicantem Ecclesiam abstractam a Mystico Christi Corpore, non cognoscit Theologia. Per se autem Philosophia ignorat factam divinam Revelationem, sicut etiam supernaturalem societatem ecclesiasticam. Nec sine reali subiecto sciendi est scientia realis. Exinde utique dubitationes et confusiones, questus et querimoniae de propria Apologeticae natura deque obiecto materiali et formali eiusdem apud varios libros manuales. Extra sacram Theologiam, non invenitur subiectum sciendi ad quod referatur obiectum Apologeticae. Illud autem unum est, nimirum Deus revelans in praedicatione catholica.

Reipsa una est Apologetica, cuius reale subiectum est Deus supernaturaliter revelans et conservans Ecclesiam suam. Unica est demonstratio apologetica, cuius finalis conclusio est rationalis credibilitas catholicae praedicationis. Nonnisi unus est tractatus apologeticus, qui De Divina Revelatione inscribitur, et in quo probatur a Deo Christi Ecclesiaeque

institutum constitutumque magisterium. Non omnia quae Christum et Ecclesiam spectant, in Apologetica tractantur, verum ea tantum quae utriusque divinum magisterium sustentant palamque faciunt. Atque exteriora sunt, quae in Apologetica de Christo et Ecclesia considerantur, quasi experiendo cognoscibilia, sed quae radicantur in profunda natura mysterii Christi et Ecclesiae, ut ex proprio liquet tractatu dogmatico.

Haec utique erant praenotanda ad unitatem Apologeticae tutandam. Adhuc tamen restat ut propria unius eiusdemque tractatus apologetici assignetur divisio. Primum fieri potest iuxta schema logicum faciendae demonstrationis. Etenim genus demonstrationis est Apologetica. Quae proinde ex tribus terminis constat necessario, quaeque necessariam habet veritatem in consequente conclusione. Tres termini sunt: divina Revelatio, quae est subiectum; rationalis credibilitas, quae est praedicatum; motiva credibilitatis, quae sunt medium demonstrationis. Est autem conclusio in veracitate praedicationis Ecclesiae. Unde Apologeticae quatuor distincta capita, quorum primum est De Divina Revelatione; secundum De Rationali Credibilitate; tertium De Motivis Credibilitatis; quartum De Rationali Credibilitate Praedicationis Catholicae.

Aliam divisionem autem praebere potest interna articulatio fidei catholicae, quam Apologetica dicitur defendere, seu

iustificare. Est enim Apologetica secundum rem, rationalis iustificatio actus fidei divinae quem quisque suam elicit sub magisterio Ecclesiae omnis homo qui credit catholicae praedicationi. Porro triplex est huiusmodi actus implicata res. Nimirum, Deus, Christus, Ecclesia. Creditur Divina Revelatio, quae est Testimonium Christi, quod in Praedicatione Ecclesiae existit. Inde Apologeticae tria distinguenda capita, quorum primum est De Divina Revelatione; secundum De Rationali Credibilitate Testimonii Christi; tertium De Veracitate Ecclesiae Catholicae.

Rursus aliam divisionem suggerit usus apologeticus quarundam humanarum scientiarum. Finis intrinsecus scilicet Apologeticae est rationalis credibilitas praedicationis catholicae. Haec autem in se est Traditio Veritatis Divinae Revelatae; historice est Evangelium Christi Propagatum; socialiter est Ecclesia Christiana Universalis. Quapropter Apologeticae tria proponenda themata, quorum primum est Revelatio et Philosophia; secundum Revelatio et Historia; tertium Revelatio et Societas.

GENERALE SCHEMA APOLOGETICAE

Liquidum est ex iis quae praecedunt, lineamenta essentialia Apologeticae Traditionalis esse necessaria ac proinde immutabilia. Haec eadem ergo proponuntur in hoc generali schemate. Quod substantialiter idem ipsum schema est utique librorum manualium. Sed in quo integrantur quae iuxta viam Apologeticae Modernae dicta sunt negligi non debent.

Ceterum idem schema a Vaticano est traditum. Ait enim:

[...] attamen placuisse eius sapientiae et bonitati, alia eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare [...] Cum homo a Deo tanquam creatore et Domino suo totus dependeat et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, [...] Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest [...] Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter comestrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata [...] Ut autem officio veram fidem profitendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci." (Dz. 1785, 1789, 1790, 1793).

Schema nonnisi programma est sequentis tractatus. In quo igitur res, argumenta et ordo tractatus summis digitis tanguntur. Itemque nullum schema rei tractandae artificiosa quadam ratione caret. Quod ideo aliter esse non potest, non est ullum. Praesens Apologeticae generale schema in duas dividitur partes, quarum altera HYPOTHESIS et altera THESIS est divinae Revelationis secundum praedicationem Ecclesiae. In altera theoria divinae Revelationis secundum catholicam praedicationem examinatur, in altera ipsa catholica praedicatio reducitur in Deum supernaturaliter revelantem et conservantem Ecclesiam suam,

I

HYPOTHESIS DIVINAE REVELATIONIS

Hypothesis est DIVINA REVELATIO qua causa rationalis credibilitatis praedicationis Ecclesiae. Videlicet cum Vaticano assumitur Deum, propter finem supernaturalem, ad quem ordinavit hominem, et qui in participandis consistit bonis divinis, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant, ministerio hominum quos ipse elegit usum, se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelasse, certa quadam locutione, quam certo probant quaedam divina signa, inque primis miracula et prophetiae. (Ds. 1785, 1786, 1790, 1812, 1813).

Huiusmodi est hypothesis divinae Revelationis ipsissimis praesentata praedicantis Ecclesiae verbis. Eam ergo, per singulos rei suppositae terminos, scrutari hic oportebit, lumine principisque naturalis rationis, ne quid forte repugnantiae implicaret. Philosophia nempe rogatur sententiam, de divina Revelatione hominem evehente ultra et non tamen extra rationalia naturae conditionem, si fieri potest, si est necessaria, si certo cognosci potest ad faciendam rationalem credibilitatem. Unde quaestiones quae sequuntur.

UTRUM DIVINA REVELATIO SIT POSSIBILIS

Interne et externe

Immediate et mediate

Rerum naturaliter cognoscibilium

Divinorum mysteriorum

UTRUM DIVINA REVELATIO SIT NECESSARIA

Absolute vel hypotheticae

Quoad veritates naturales

Quoad mysteria divina

UTRUM DIVINA REVELATIO SIT COGNOSCIBILIS

Ad faciendam rationalem credibilitatem fidei praesumbulam

ad scientificam demonstrationem credibilitatis et veritatis

fidei

Signis divinis internis et externis

II

THESIS DIVINAE REVELATIONIS

Thesis est RATIONALIS CREDIBILITAS catholicae praedicationis qua traditur Christiana Revelatio. Videlicet cum Paulo apostolo edicitur Deus, multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis, novissime, diebus istis, locutus esse nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum... Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam... Quae est ... columna et firmamentum veritatis. (Hebr. I, 1-2; Eph. I, 22-23; I Tim. III, 15).

Ita est substantia verum ac verax testimonium catholicum de revelante Deo, de Christo et de Ecclesia. Eius ergo credibilitas erit modo probanda accommodatis argumentis. Historia nempe rogatur sententiam de divina Revelatione in Christo per Ecclesiam, si quae est, si nonnisi in catholica praedicatione est. Unde affirmationes quae sequuntur.

HISTORIA DIVINAE REVELATIONIS**OECONOMIA DEI REVELANTIS**

Divina Revelatio Primaeva

Divina Revelatio Mosaica

Divina Revelatio Christiana

FONTES HISTORIAS SACRAE

Vetus Testamentum

Novum Testamentum

Traditio Christiana

Documenta Profana

FACTUM CHRISTIANAE REVELATIONIS**EXISTENTIA TESTIMONII CHRISTI**

"Christus affirmavit suam divinam missionem"

Christus est Legatus Dei

Christus est Propheta

Christus est Messias

Christus est Filius Dei

CREDIBILITAS TESTIMONII CHRISTI

"Christus demonstravit suam divinam missionem"

Sua personali dignitate

Doctrinae traditae sublimitate

Religionis conditae vitalitate

Innumeris miraculis patratis

Multis vaticiniis prolatis

Maxime sua a mortuis resurrectione

Prophetiis messianicis adimpletis

Melioribus desideriis humani generis expletis

Omni reliqua historica religione superata

PACTUM CATHOLICAE ECCLESIAE

INSTITUTIO ECCLESIAE CHRISTI

"Christus suae Ecclesiae divinam missionem affirmavit"

Ecclesia est communio christiana universalis

Ecclesia est institutum salutis christianae

Ecclesia est regnum veritatis christianae

CREDIBILITAS ECCLESIAE CATHOLICAE

"Romana Ecclesia una suam originem christianam demonstrat"

Sua historica identitate

Historiae suae transcendentia

Via notarum

CONCLUSIO

Conclusio est CREDENTITAS unius veracis Ecclesiae. Videlicet cum Vaticano dicitur Deus, ut officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus homines, per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituisse, suaeque institutionis manifestis notis instruxisse, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. (Op. 1793).

Re quidem vera, rationali credibilitati, haecenus probatae, credentitas nonnisi officium credendi addit. Quod ergo statuendum est statim propria explicitaque ratione, si vere est, et in quo est. Unde enuntiationes quae sequuntur.

Est in fide conveniens responsio hominis revelanti Deo

Est homini a natura officium veram religionem profitendi

Est homini rationabiliter officium inquirendi de
religione revelata

Est homini a Deo officium ingrediendi Ecclesiam inque
ea vivendi ad salutem

SCHEMATIS QUESTIONES PRAECIPUAE

Quae propositum Apologeticae generale schema nonnisi indicat, multa eaque varia esse consideranti videri possunt, atque exercitatione utique videbuntur. Sed eadem synthetice quoque sunt conspicienda. Amplissimae materiae pauca existunt capita, in quibus mens sistere necesse est. Quae sequuntur scilicet Apologeticae sunt censendae quaestiones praecipuae.

DE DIVINA REVELATIONE

Philosophiae divinae Revelationis

Ratio et Revelatio

Theologia divinae Revelationis

DE RATIONALI CREDIBILITATE

Revelatio et Fides

Fides et Rationalis Credibilitas

Rationalis Credibilitas et Motiva Credibilitatis

Motiva Credibilitatis et Signa Divinae Revelationis

DE SIGNIS DIVINAE REVELATIONIS

Verum signum divinae Revelationis

Signum internum et signum externum
Signum princeps divinae Revelationis
Miracula et Prophetiae

DE CHRISTO REVELATORE

Christus Historicus
Christi divinum magisterium

DE ECCLESIA CATHOLICA

Ecclesiae christiana origo
Catholicae Ecclesiae divinum magisterium

CONSPECTUS HISTORICUS APOLOGETICAE

Ingressus mundum praedicatur Christus "signum cui contradicetur" (Lc. II, 34). Quod secundum veritatem fuisse praedictum comprobatur historia Christi et Christianorum. A primordiis enim videtur cum religione christiana crevisse negotium sui iustificationis ac defensionis. Judaeis primum, deinde Gentilibus atque brevi haereticis fuit persuadendum, Deum in Christo hominibus esse locutum, vel in Catholica Ecclesia tantummodo christianam revelationem vere veraciterque annuntiari. Liqueat hoc in ipsa evangelica praedicatione. Idem manifestum est etiam quoad Apostolorum praedicationem. Statimque christiana litteratura initiatur tractatibus apologeticis.

Principio ostenditur Judaeis in Novo Testamento continuari et consummari Vetus Testamentum, prout postulabat utique proprium ingenium populi biblici, qui dicitur, sed argumentis quae per se ad usum universaliores valent. Scilicet miraculis atque prophetiis, quae Deum unum principem auctorem habent. Ita Christus et Apostoli. Saeculo autem secundo, Christiani litterati, qui Apologetae dicuntur, Graeca incipiunt uti cultura ad refutandas adversariorum calumnias, itemque vim enucleant miraculorum et prophetiarum ut convincatur intellectus quod a Deo est revelatio Christianorum religio. Res perficitur a

Patribus posteriorum saeculorum, qui mox pullulantes sectas quoque repellere debent.

Haec est aetas APOLOGIAE. Generatim praesentatur exponiturque recta Christianorum doctrina, divinae fidei rationabilitas ac certitudo commendatur, catholica dogmata defenduntur contra infidelium figmenta vel haereticorum vana commenta. Sed iam via sternitur ad APOLOGETICAM. Saltem adumbrata inveniuntur praecipua signa divinae Revelationis variaque credibilitatis motiva, externa vel interna, ut aiunt, secundum futurum usum in scholis catholicis. Augustinus ipse acute, modo suo, obsequium fidei rationi consentaneum frequente tractatu demonstrat, eiusque opus maximum, De Civitate Dei, Ecclesiae exaltat tanquam signum princeps revelantis Dei absolutumque credibilitatis motivum.

Aevo medio superiore, religionis christianae atque orthodoxiae pars victoria, relaxatur quodammodo animus apologeticus. Dum Arabes Judaeique non dubitaverint philosophia aristotelica abuti in revelata dogmata, respondebunt eodem Aristotele usi Scholastici. Thomae Aquinatis Summa contra Gentiles est vertex, in quo terminatur Apologia, haecenus frequentata, et incipit Apologetica, quae frequentabitur postea. Veritas christiana quae non est supra rationem, intrinsicis demonstratur argumentis, quae rationem naturalem superat,

interna extricata difficultate illustratur in sua credibilitate, utraque in divino fundatur testimonio quod manifestant tot tantaque divinae omnipotentiae signa. (Summa contra Gentiles, I, 6).

Eximium opus imitantur qui deinceps de re apologetica tractabunt, separatim vel agentes de fide divina. Sed interim nova surgit aetas, quae Moderna dicitur, novumque Evangelii commentum, quod Protestantismus vocatur. Atque ideo necessitas retractandi negotium apologeticum pro temporum opportunitate.

Protestantibus novantibus res christianas obstant modo publicatae Controversiae, quarum Robertus Bellarmino habetur artifex egregius. Quam eruditissime scilicet Ecclesiae institutionem constitutionemque a Christo derivari probant Catholici. Quemadmodum demonstrant evangelicam puritatem catholicae praedicationis propriis genuinisque designatis documentis traditae ab Apostolis doctrinae.

Exsistit iam tractatus DE ECCLESIA CATHOLICA. Pariterque tractatus alter DE LOCIS THEOLOGICIS, cuius Melchior Cano dicitur pater. Nondum tamen extra genus Apologiae itur. Scripturis et Traditionibus inter Christifideles de re revelata est quaestio disputata.

Apologetica ipsa nonnisi inde a medio saeculo XVII existere coepit. Tunc Christianos urget tota omnisque Moderna cultura. Litteraria nempe, religiosa atque philosophica. Aliis verbis, Humanismus, Deismus, Rationalismus. Factum est enim divortium fidei et rationis. Nec potest pristina unitas integrari nisi quadam mediatione rationali intercedente, quae fidem iustificat in Deum supernaturaliter revelantem et conservantem Ecclesiam suam. Ad hoc in unam eandemque confluunt disciplinam vetustioris Apologiae elementa perpetua, recentior Scholasticorum analysis fidei novissimaeque Scientiae certiora data.

Ita igitur tractatus DE VERA RELIGIONE. Qui dicitur DEMONSTRATIO CHRISTIANA, et cuius obiectum est rationalis credibilitas factae a Deo in Christo revelationis. Substantia in hac demonstratione est Apologetica. Atque in eam conveniunt pariter Protestantes et Catholici. Immo videntur illi de ea procuranda primi solliciti fuisse.

Sed utique est Catholicis praeterea onus Ecclesiae defendendi praedicationem. Et quoniam ea tempestate, una cum Protestantismo, crescit Rationalismus Biblicus, quem dicunt, methodo historica principisque naturalis rationis in iis quoque proceditur quae Ecclesiae institutionem constitutionemque, magisterium ac ministerium spectant. Haec est DEMONSTRATIO

CATHOLICA, cuius obiectum dicitur rationalis credibilitas conditae a Christo Ecclesiae. Ita Apologetica et quoad societatem ecclesiasticam nata est. Atque Theologiae Fundamentalibus trinus tractatus paratus. Restat ut hinc Traditionalismi et inde Semirationalismi data occasione, Apologeticae Traditionalis compleatur proprius status. Ratio scilicet fundamenta fidei divinae et catholicae demonstrat. Fides autem ipsa supra rationem est obiecto, natura, ortu.

Huic Apologeticae dictum est Concilium Vaticanum album calculum adiecit in sua Constitutione dogmatica de fide catholica. Exinde viget eadem inter catholicos auctores usque ad recentem controversiam de renovanda Apologetica. Non tamen desunt intestinae disputationes quoad aptiorem procedendi modum in eadem via. Famosa est sententia Deschamps, cuius substantiam Vaticanum sancit (Dz. 1794), quod scilicet Ecclesia ipsa motivum princeps est demonstrandae credibilitatis. Sunt deinde qui dubitant expedire usum prophetiarum Veteris Testamenti, ob molestissimas huius quaestiones historicas atque exegeticas. Alii vero methodum patrocinantur regressivam prae methodo progressiva, ut aiunt. Maiore difficultate est Vetus Testamentum irretitum, videturque ordine retrogrado, luce quae a Novo Testamento est perfusum, Vetus facilius patere.

Haec et alia in idem genus pedetentim ad notam structuram fecerunt Apologeticae Traditionalis, de qua in praecedentibus actum est.

APOLOGETICAE AUCTORES PRINCIPES

Nobiliore tantum recensentur scriptores, quos classicos licet appellare, nec fas est ignorare. Praesertim qui Apologeticae Traditionali operam dederunt ab initio, quamvis non silendum de iis qui alius viae sunt dignissimi patroni. Ordinem temporum servat elenchus, quoad fieri potest, spectato auctoris obitu. Viventibus autem salutem

CYPRIANUS, Quod idola dii non sint

LACTANTIUS, Divinae Institutiones

**EUSEBIUS CAESARIENSIS, Praeparatio evangelica
Demonstratio evangelica
Theophania**

**ATHANASIUS, Oratio adversus gentes
Oratio de Incarnatione Verbi**

JOANNES CHRYSOSTOMUS, Quod Christus sit Deus

**AUGUSTINUS, De vera religione
De utilitate credendi
De fide eorum quae non videntur
De Civitate Dei**

**THOMAS AQUINAS, Quaestiones de fide
Summa contra Gentiles
Quodlibet II, 6**

RAYMUNDUS MARTI, Pugio fidei

JOANNES A TURRECREMATA, Summa de Ecclesia

HIERONYMUS SAVONAROLA, Triumphus crucis seu de veritate fidei

MARSILIUS FICINUS, De christiana religione

**THOMAS STAPLETON, Principiorum fidei doctrinalium demonstratio
methodica
Principiorum fidei doctrinalium selectio
scholastica...**

LUDOVICUS VIVES, De veritate fidei christianae

- MELCHIOR CANO, De Locis theologicis
- JACOBUS DAVY DU FERRON, Opera
- ROBERTUS BELLARMINO, Contiones XII de argumentis fidei
Disputationes de controversiis christianae
fidei
- HUGO GROTIUS, De veritate christianae religionis
- BLASIUS PASCAL, Pensées sur la religion
- MICHAEL DE ELIZALDE, Forma verae religionis quaerendae et
inveniendae
- RICHARDUS ARCHDEKIN, Theologia tripartita
- PAULUS SEGNERI, L'incredulo senza scusa
- JACOBUS B BOSSUET, Exposition de la doctrine catholique
Histoire des variations des églises pro-
testantes
Discours sur l'histoire universelle
- PETRUS D HUET, Demonstratio evangelica
Alnetanae quaestiones
- VITUS FICHER, Theologia polemica
- VINCENTIUS GOTTI, Veritas religionis christianae
La vera chiesa di Gesù Cristo
- CAROLUS SARDAGNA, Theologia dogmatico-polemica
- NICOLAUS S BERGIER, Le Déisme réfuté
La certitude des preuves du christianisme
Apologie de la religion chrétienne
Réfutation des principaux articles du Dic-
tionnaire Philosophique
Traité historique et dogmatique de la
vraie religion
- MARTINUS GERBERT, Demonstratio verae religionis veraeque
ecclesiae
- IGNATIUS NEUBAUER, Theologia Wirceburgensis

- LUCAS J HOOKE, *Religionis naturalis et revelatae principia*
- JACOBUS ABRADIE, *Traité de la vérité de la religion chrétienne*
- PETRUS GAZZANIGA, *Theologia polemica*
- JOANNES A MOENLER, *Die Einheit der Kirche*
Symbolik
- FRANCISCUS R CHATEAUBRIAND, *Le génie du christianisme*
- JACOBUS BALMES, *Cartas a un escéptico*
El protestantismo comparado con el catolicismo
- JOANNES S DREY, *Die Apologetik als wissenschaftliche Nachweisung...*
- HENRICUS LACORDAIRE, *Conférences de Notre-Dame*
- NICOLAUS WISEMAN, *Twelve Lectures*
Lectures on the Catholic Doctrine
Lectures on the Catholic Church
Strictures on the High-Church movement in Oxford
- JOANNES FERRONE, *Praelectiones theologicas*
- VICTOR A DESCHAMPS, *Entretiens sur la démonstration catholique*
de la révélation
Le Christ et les Antichrists
- PAULUS DE BROGLIE, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions*
L'idée de Dieu dans l'ancien et le nouveau Testament
- JOANNES B FRANZELIN, *De divina traditione et scriptura*
Theses de Ecclesia
- CAROLUS PASSAGLIA, *De praerogativis beati Petri*
De Ecclesia Christi
- AUGUSTUS NICOLAS, *Etudes philosophiques sur le christianisme*
L'art de croire
La divinité de Jésus-Christ
La révolution et l'ordre chrétien
L'Etat sans Dieu
Rome et la Papauté

- LUDOVICUS BRUGERE, De vera religione
De Ecclesia Christi
- GULIELMUS WILMERS, De religione revelata
De Ecclesia Christi
- JOANNES H NEWMAN, Tracts
Essay on the development of Christian Doctrine
Grammar of Assent
Via Media
- FRANCISCUS HETTINGER, Apologie des Christenthums
Lehrbuch der Fundamentaltheologie
Die Krisis des Christenthums
- JOSEPHUS FELIX, Le progrès par le christianisme
- HENRICUS E MANNING, The grounds of Faith
Sermons
- THOMAS ZIGLIARA, Propædæutica ad sacram theologiam
- IGNATIUS OTTIGER, Theologia Fundamentalis
- MAURITIUS D'HULST, Mélanges oratoires
Mélanges philosophiques
- CAMILLUS MAZZELLA, Praelectiones scholastico-dogmaticae de
religione et de ecclesia
- JULIUS DIDOT, Logique surnaturelle subjective
Logique surnaturelle objective
- PAULUS SCHANZ, Apologie des Christenthums
- JOANNES V DE GROOT, Summa apologetica de ecclesia catholica
- ALBERTUS WEISS, Apologie des Christenthums vom Standpunkt der
Sitte u. Kultur
- JOANNES MUNCUNILL, Tractatus de vera religione
Tractatus de Christi Ecclesia
- LEONTIUS DE GRANDMAISON, Jésus-Christ
- CONSTANTINUS GUTBERLET, Lehrbuch der Apologetik

- HERMANNUS DIECKMANN, Theologia Fundamentalis
- LUDOVICUS BILLOT, Tractatus de Ecclesia Christi
- AMBROSIUS GARDEIL, Crédibilité et Apologétique
Le donné révélé et la théologie
- JOSEPHUS MAUSBACH, Grundsuege der katholischen Apologetik
- AEMILIUS DORSCH, Institutiones Theologiae Fundamentalis
- ANTONIUS STRAUB, De Ecclesia Christi
- MAURITIUS BLONDEL, Opera
- REGINALDUS GARRIGOU-LAGRANGE, De Revelatione per Ecclesiam
catholicam proposita
- TIMOTHEUS ZAPELENA, De Ecclesia Christi
- SEBASTIANUS TROMP, De Revelatione Christiana

